

Q.K. 365, 2.

x 1879554

II m
50

Q. D. B. V.

DE

STUDII GENEALOGICI
PRÆSTANTIA,

MODERANTE

DN. L. ADAMO RECHENBERG,
HIST. ET UTRIUSQUE LINGVÆ P. P. ET MAJOR.
PRINCIPP. COLLEG. COLLEGIATO, PRÆCE-
PTORE ET PATRONO SUO ÆTATEM
DEVENERANDO,

In

ACADEMIA LIPSIENSI,

D. 18. Septembris, Anno S. C. M. DC. XCVII.


Publice differere

instituit

ERNESTUS FRIEDERICUS Kindermann/
CHEMNICENSIS MISNICUS.

LIPSIÆ,

Literis FLEISCHERIANIS.



MAXIME GENEROSIS atque STRENUIS
DOMINIS,
DN. HANS SIGISMUNDO PFLUG,
Dynastæ in Kreyniz,
Illustr. Ordinis Johannitarum Equiti,
Seren. ac Potentissimi Regis Poloniarum & Elect. Saxon.
Comiti, & Satellitum Præfecto:

Nec non
DN. ERNESTO ABRAHAMO
AB OSTERHAUSEN,
Dynastæ in Böhlen, &c.
Seren. ac Potentiff. Regis Poloniarum & Elect. Saxon.
Supremarum Appellationum Consiliario
Excellentissimo,

DOMINIS ac PATRONIS MEIS GRATIOSIS,

HANC DISSERTATIONEM,

Cultus & debita observantia gratia

D. D. C.

ERNESTUS FRIEDERICUS Rindermann/
Chemnciensis Misnicus.



homo, de oris mibus N. J. as all

DISSERTATIONIS HUIUS
INDEX RERUM.

§. 1. **S**tudii Genealogici Præstantia proponitur. §. 2. Vox *Genealogia* Græcæ est originis. §. 3. *Genealogia* definitio. §. 4. *Genealogia* & *Progonologia* differentia, hujusque usus in familiarum nobilium decoribus probandis. §. 5. *Scientiæ genealogicæ* fontes. §. 6. Nomismatum in illa etiam usus. §. 7. Fictitiarum veterum genealogiarum vanitas notatur. §. 8. *Veræ genealogiæ Præstantia* tribus argumentis asseritur. §. 9. *Primum* est ejusdem *antiquitas*, quæ probatur ex *sacra historia V. T.* §. 10. Illustratur ex *Judaicâ*. §. 11. *Corruptio genealogiarum* apud Judæos, & quæ causa ejusdem. §. 12. *Antiquitas genealogiæ* ex *sacra historia N. T.* §. 13. *Objectio* ex *1. Timoth. I.* diluitur. §. 14. *Antiquitas genealogiarum* ex *profana historia Græcorum*. §. 15. *Et Romanorum*. §. 16. Hujus studii apud Romanos causa. §. 17. De veterum Gallorum & Germanorum *genealogiis* conjecturæ. §. 18. Horum *genealogiæ* scriptores recentiores. §. 19. *Alterum* præstantiæ hujus studii *argumentum* præbet *nobilitas* materiæ, sive objectum ejus. §. 20. *Tertium*, est usus ejusdem amplissimus. §. 21. In *historia*. §. 22. & quidem primo *sacrâ*. §. 23. Deinde *profana* veteris & mediæ ævi. §. 24. Tertio in *recentiori*. §. 25. Item in *vitæ virorum* illustrium & nobilium descriptione, sive *curriculis*. §. 26. Usus hunc *genealogiæ* ex *historiis illustratæ* magis commendant. §. 27. Usus *genealogiæ* in *politicis questionibus* de jure agnationis & cognationis declaratur. §. 28. Usus ejusdem in *arte oratoria*. §. 29. Item in *arte poëtica*. §. 30. Unde *præstantia* ejusdem ex præmissis concluditur.



§. 1.

Nulla ars aut liberale studium fere est, quod non suos habeat contemtores; cum major semper imperitorum sit copia, quam eorum, qui artes & studia liberalia excoluerunt, in iisque assequendis operam & industriam suam collocarunt. Mirum ergo nemini videbitur, si & imperitis **STUDIUM** quod **GENEALOGICUM** dicitur, vile habeatur, aut plane etiam fastidiatur. Hæc ipsa res stimulum mihi addidit, ut de argumento dissertationis publicæ dispiciens, dictum hoc studium seligerem, ejusque **PRÆSTANTIAM** idoneis, quæ mihi visa, argumentis, ex historia potissimum petitis demonstrare nunc constituerim.

§. 2.

Quod dum aggredior, de voce *Genealogia*, quæ Græcæ est originis, prolixè disquirere hic supervacaneum erit. Quis enim inter doctos ignorat, γενεαλογίαν, ex γένος, quod *genus*, *familiam*, aut *gentem* notat, & ex λόγος, (*sermo*, *oratio*, *recensio*) vocabulum compositum esse; ac adeo *generis seu familiae recensionem* significare? Apud Latinos quidem scriptores, *gens* & *familia* significatu distinguuntur: ut illa variis constet populis, hæc autem stirpibus. Unde & familia appellatur stirps, quæ a communi stipite derivatur. Quapropter *Festus*, vetus grammaticus, scribit, *gentem Æliam* appellari, quæ ex multis familiis conficitur: quia in Ælia gente alii *Pæti*, alii

alii Ligures, Cati, Lamiaë, Tuberones dicebantur, qui totidem unius gentis formabant familias; cum ex eadem prognati gente essent. Et apud eundem *Festum*, gentiles ex eodem genere, sed non ex eadem familia orti nuncupantur. *Svetonius* in *Nerone cap. I.* hoc etiam discrimen attingit, quando ait: ex gente *Domitia* duas familias clariusse, *Calvinorum* & *Ænobarborum*. Sed τὸ γένος apud Græcos pro familia etiam, ut hoc loco, accipi, notum est. Confer *Valesii Annotationes ad Euseb. Histor. Eccles. lib. I. cap. VII.*

§. 3.

Genealogia igitur vi vocis, est hominum præsertim illustrium, qui à communi aliquo stipite per distinctas stirpes descendunt, recensio, ut stemmatum origo & eorum gradus agnationis & cognationis cognosci atque distingvi queant.

§. 4.

Ab hac distingvitur *Progonologia*, quæ est recensio majorum alicujus familiæ, ut ipsum vocabulum insinuat. *Πρόγονοι* enim Græcis majores dicuntur, seu a quibus parentes genus suum ducunt; ut pater, avus, abavus, atavus; mater, avia, &c. Tales progonologicas tabulas illustrium in orbe Christiano magnatum adornavit maxime reverendus *Dn. D. Spenerus* in *Theatro Nobilitatis Europææ*. Cujus usus est in decoribus familiarum nobilium & illustrium stemmatum cognoscendis, quæ observari atque requiri apud Germanos imprimis solent: quando vel ludi equestres (torneamenta vocant) instituuntur, aut pompæ funebres nobilium ac illustrium virorum atque foeminarum celebrantur, affixis sarcophago e regione capitis paternæ, circa pedes, maternæ stirpis scutis gentilitiis: ut de nobilitate generis tam ex

paterno, quam materno stemmate constet. Qui enim non ex utroque latere, generis sui decus demonstrare valent, à ludis equestribus, torneamentis, & Collegiis Canonorum, (præsertim quæ hohe Stifter vocantur) excluduntur: Ne forte splendor dignitatis aut prærogativæ ordinis equestris minuatur. *Bocer. de Regal. cap. II. num. 17.* Unde in *lib. I. Landrechte art. 51.* quatuor gradus in *πρωγονία* requiruntur, von seinen vier Ahnen/ das ist/ von seinen zwey Aelter-Vätern/ und zwey Aelter-Müttern. Qui inde ut ab hominibus novis distingvantur, vierschiedige Edelleute appellantur. vid. *Speidel. voce Adel & Limn. J. P. lib. VI. cap. 5.* Hinc in Silesia, in iudicium Equestre das Ritter-Recht/ nemo assumitur, nisi insignia quatuor tam paterna, quam materna ostendere possit. *Fritz. de Nobil. Civil. Concl. 20.*

§. 5.

Ut verò rectius intelligatur studii genealogici origo, mearum hîc erit partium, indicare prius fontes quam *præstantiam* ejus demonstrarem. Illi sunt vel tabulæ, vel documenta in archivis publicis de claris familiis asservata; vel monumenta & inscriptiones eorum, quibus demortuorum genus designatur; vel historiæ de vitis excellentium virorum, a fide dignis scriptoribus relictæ.

§. 6.

Faciunt huc etiam antiqua nomismata, in Principum & illustrium virorum gazophylaciis collecta, quorum inscriptiones attendendæ sunt. vide *P. Joberti è Soc. Jesu* libellum de *Notitia rei nummaria* a clariss. Junckero latine redditum, *præcepto VI.* Horum, in hoc studii genere, usum doctissimus Gallus, *Carolus du Fresne*, Dominus *Cangeus*, in *Historia Byzantinâ duplici Commentario illustra-*

lustrata tradit: in cujus priori parte familias ac stemmata Imperatorum Constantinopolitanorum cum eorundem Augustorum nomismatibus, & aliquot iconibus exhibet, ac familias Dalmaticas & Turcicas complectitur.

§. 7.

Cum autem hac in parte, & veteris, & medii ævi magna scriptorum in consignandis familiis negligentia, fuerit, & præterea multa etiam monumenta historica, temporum injuriâ, interierint; penes non paucos scriptores impudentia invaluit; ut vel fabulas de hujus aut illius herois familiâ antiqua confinxerint; vel etiam illas poëtica licentiâ fabulis contaminarint. Non dicam de poëtis, qui olim in hoc scribendi genere nimium sibi indulgere, quando theogonias, seu Deorum genealogias cum Orpheo, Musæo, Epimenide, Hesiodo, Apollodoro commenti sunt: quorum vanitatem, quod fere semper invicem discreparent, ipse *Pausanias in Bæotic. pag. 762. & 772.* notavit, & Christiani omnes merito, ut levia & vana commenta rejiciunt: Sed ineptam ac effrænam quorundam Christianorum fingendi licentiam non mirari satis queo. Qui heroicis Magnatum familiis, nescio, quod decus conciliaturi, ipsorum stemmata à Noacho aut Abrahamo derivare ausi sunt. Quasi vero inde splendor illustri familiæ accederet, si Princeps cum omnibus miseris terræ filiis, primum habeat communem parentem. Parum quippe curæ istis genealogiarum architectis est; an in fictitiis generationum gradibus, quos exhibent, aliquot millium annorum intercedant anachronismi. Ab his enim si tabulas ac certa antiquitatis monumenta requiras; respondent, veteres ajunt, referunt, perhibent. Quinam verò illi sint, & unde habeant, cum ignarissimis sciunt. Quapropter cum
Maxi-

Maximiliano I. Imperatori, similis nugator, generis sui originem ex Noachi progenie deducere pollicitus esset, aulae morio forte adstans illi, ne permetteret, svasit, ni se, ex eadem stirpe prognatum, velit consanguineum agnoscere. Confer *Wolfgangi Lazii de gentium aliquot Migrat. lib. 1. initium*.

§. 8.

Ego vero his praemissis, PRÆSTANTIAM hujus studii veri ac genuini ostensurus sum. In qua evincenda, tribus praecipue utar argumentis: quorum primum erit studii genealogici *antiquitas*, alterum *nobilitas materia* (sive objecti,) tertium ejusdem *utilitas*.

§. 9.

Antiquitatem ejus cum ex sacra, tum profana historia arcessere licebit. Primus omnium & antiquissimus historiae sacrae conditor Moses est, qui *Genes. V.* tam accurate primorum parentum descripsit genealogiam; ut absque hac si foret, & progeniem humani generis & tempora, quibus vixere, ignoraremus. Imo Chronologis deessent fundamenta certa, annos ab orbe condito ad diluvium computandi. Nam ex illa genealogia Patriarcharum mundi antediluvianam aetatem, Chronologi demonstrant. Et *Prudentius Apotb. v. 383.* Mofi inde nomen *genealogi* attribuit:

- - - - - *non in Patre solo*
Vim Majestatis positam, sed cum Patre CHRISTUM
Esse DEUM: velut illud ait GENEALOGUS idem:

A DOMINO DOMINUS flammam pluit in Sodomitas.

Ita idem divinus historicus *cap. X. Genes.* filiorum Noachi genealogiam, & *cap. XI.* genealogiam Schemi pertexit. Unde *doctiss. B. ocbartus* propagines ac dispersiones gentium, insigni libro, *Pbaleg* inscripto, deducit. Confer

Arie-

Ariamontani ejusdem nominis librum, de *primis gentium originibus*.

§ 10.

Mosis deinde exemplo, Judæi cæteri excitati, ita Genealogiæ studium amarunt, ut servandæ familiarum suarum memoriæ contexerent genealogias, quas *Honorio Augustodunense in Gemma Anima lib. III. cap. LIII.* teste, in templi Hierosolymitani archivis reponerent, eoque gentis suæ nobilitatem conservarent; quippe quam cum gentibus extraneis connubio jungi averfabantur. Cura hæc Judæorum ex indicibus genealogicis, in libro *Esra cap. II. & IIX. & Nehemia cap. VIII. & X. XI. & XII.* annotata, omnibus Christianis nota est.

§. II.

Viguit porro hoc studium Judæorum genealogicum ad id temporis usque, quo Herodes Antipatri filius regiam dignitatem adeptus est. Qui cum esset gente Idumæus, minusque illustri familia ortus, monumenta antiqua familiarum nobilium igne consumpsit: ne generis sui obscuritas forte ipsi à Judæis exprobrari posset; vel ut sibi liberum esset, quem vellet summum sacerdotem constituere. Nam attestante *Josepho Antiquit. lib. XX. cap. VIII. & de Bell. Jud. cap. V.* requirebatur, ut, qui summo sacerdotio apud Judæos fungi vellet, matre natum se Ebræâ probaret, quem ordinem Herodes turbavit. Istis enim igne abolitis, familiarum Judaicarum natales obscurare aut incertas reddere molitus est. Confer *Euseb. lib. I. cap. VII. H. E. & Selden. de Success. Pontif. Ebræorum, lib. II. cap III.*

§. 12.

Neque vero hoc studium Judæis tantum curæ fuit; sed etiam *Matthæus cap. I. & Lucas cap. III.* in historia

B

CHRI.

CHRISTI, Salvatoris nostri, stemma maternum ex genealogia Ebræorum contexere sustinuerunt; ut de stirpe Messiaë, à divinis viris prædictâ, Judæis constaret. De quorum, ut videtur, dissensu *Africanus in Epistola ad Aristidem, de Consensu Evangeliorum in Stirpe CHRISTI narranda, apud Eusebium H. E. lib. I. cap. VII.* legi meretur. Confer *Valesii in hunc Annotationes.*

§. 13.

Equidem scrupulum hic aliqui circa curam hujus studii, ex *1. Tim. I, 4.* Christianis movent, quando Apostolus monuit: *μηδὲ προσέχειν μύθοις, καὶ γενεαλογίαις ἀπεράντοις, αἰτίνες ζητήσεις παρέχουσι μᾶλλον ἢ οἰκονομίαν Θεῷ τὴν ἐν πίσει.* Sed *Chrysostomus in b. l. homilia I. fol. m. 1529.* existimat Paulum Græcos respicere, qui de Theogoniis mera figmenta, Christianis inutilia, spargebant: unde inter illos vanæ contentiones agitabantur. Enimvero magis mihi fit verisimile, Apostolum digitum intendere in Judæorum ephemerides & domestica documenta incerta; imò sublestæ pene fidei de familiarum & natalium suorum antiquitate. Unde deficientibus monumentis authenticis, quæ litem dirimerent, contentiones inter illos oriebantur, obstinatius quovis conjecturas suas, cum piorum offendiculo, tuente. Ab hac sententiâ alienus non est *D. Ambrosius*, quando hunc locum Apostoli illustrat, *tom. V. Opp. Edit. Froben. fol. 398.* *Obsecrat Episcopus Coëpiscopum suum, inquit, ne pateretur Judeos aliter populum, quam ab Apostolo tradebatur, docere, ne oblectarentur fabulis, quas narrare consueti sunt Judei de generatione suarum originum, de Abraham & Isaac, & cæteris Patriarchis. Quid enim opus est, generationum quas constat per traducem esse infinitas, mentionem facere, & quid, & quatenus factum est sub unoquo-*
que

que eorum, ἔτι ἢ πῶς potius compendio per fidem salutem
querere? Theophylactus in Comment. in allegat. loc. Pauli
fol. 643. videtur etiam hanc interpretationem suam face-
re: πάππης γὰρ αἰτ, καὶ προπάππης ἀπηρίθμεν, ἵνα
δόξαν ἱστορίας ἔχωσιν. Απεράντης δὲ, ἢ ταῖς εἰς τὰς ἀνω-
χρόνης ἀναβαινέσαις, ἢ ταῖς πέρας ἔδὲν ἔχουσαις χρήσι-
μον, ἢ εὐσύνοπτον, ἀλλὰ δυσπεριλήπτοις καὶ πολυτρό-
ποις, (al. πολυπλόκοις.) Addit tamen conjecturam
Chrysofostomi, quem alias sequi amat: εἰκὸς δὲ καὶ ἑλ-
ληνας αὐτὸν ἐν ταύταις ἀνίτησθαι. οἱ γὰρ μύθοι τέτων
εἰσὶ καὶ αἱ γενεαλογίαι, ὡς τὰς Θεῶν αὐτῶν καταλεγιόν-
των. Enimvero nullam ipse suæ conjecturæ causam
reddit. Quare de Judæorum genealogiis hic notatis
Ambrosii sententia nobis clarior veriorque videtur. Vo-
cat enim Apostolus istas genealogias ἀπεράντης, quod
post genuina natalium monumenta igne abolita, frustra
confugeretur ad ἰδιωτικὰς ἀπογραφὰς atque fabulas in-
certas, ut ab antiquiori gentis stipite prognatos se pro-
barent. Præsertim cum tales quæstiones ad fidem saluta-
rem nihil omnino conferrent. Adeoque inane fictitia-
rum genealogiarum studium Apostolus tantum rejicit,
quod omnibus merito Christianis etiam improbatur.

§. 14.

In profana historia, Græcos & Romanos curam in
perscrutandis familiarum originibus impendisse, libri
de iis conscripti, vel saltem eorum lemmata ad posteros
transmissa testantur. Nam præter Epimenidem apud
Laërtium lib. I. & Pherecydem apud Dionysium Halicar-
nassum lib. I. Asium genealogicum scriptorem Pausanias
in Corinthiacis cap. XXIX. in Achaicis, cap. IV. in Bæo-
tic. cap. XXIII. laudat. Simonidem cognomento Meli-
certem, tres genealogicos libros scripsisse, Suidas memo-

rat. Philoxenus, eodem teste, Æacidarum stemma recensuit. Secundus Pherecydes Syrus etiam genealogiam conscripsit, apud *Photium in Biblioth. fol. 1587.*

§. 15.

Inter Romanos de familiis Romanorum *Varro* olim scripsit. Confer *Plinium lib. XXXV. cap. II.* *Pomponius Atticus, Cornelio Nepote, in vita Attici, cap. XIX.* teste, familiarum Romanarum originem subtexit, ut ex eo clarorum virorum propagines possimus cognoscere. Fecit hoc idem separatim in aliis libris, ut *M. Bruti* rogatu *Juniam* familiam à stirpe ad hanc ætatem ordine enumeraverit, notans, qui, a quoque ortus, quos honores, quibusque temporibus cœpisset: Pari modo *Marcelli Claudii, de Marcelorum, Scipionis, Cornelii, & Fabii Maximi, de Fabiorum & Æmiliorum*: quibus libris nihil potest esse dulcius iis, qui aliquam cupiditatem habent notitiæ clarorum virorum. Romanis enim imprimis studium genealogicum curæ fuisse, vel inde etiam adparet, quod majorum suorum imagines colerent, easque in atriis positas per lineas, natalium gradus notarent. Quia, ut *Plinius l. c.* loquitur: *Stemmata lineis discurrebant ad imagines pictas.* confer *Plinii junioris lib. VII. epist. 23. lib. III. epist. 7.* Ipsum *Ciceronem* genealogias clarorum virorum annotasse, ex *epistola ad Petum* (quæ *lib. IX. ad Fam. 21. est*) adparet, qua *L. Papirii Mugillani* stirpem memorat. Aliud exemplum hujus studii, *Gellius Noct. Att. lib. XIII. cap. XIX.* exhibet.

§. 16.

Et sane cura hæc familiarum apud Romanos vel maxime necessaria fuit, ut *Patriciæ* a *plebejis* discernentur. Nam *Romulus* primum in duas partes populum universum distribuit; cum qui genere, opibus, potentia

tia

tia & auctoritate plurimum possent, rerumque gestarum gloria excellerent, *Senatores* constitueret, & *Patres* honoris atque virtutis causa appellaret; reliquos vero, qui rebus omnibus inferiores essent, gentes & inopes *Plebejos*: illos rempublicam administrare, magistratus gerere, auspicia, sacra obire: hos agros colere, & quæstuosis artibus operam dare: illos patronos, hos clientes esse voluit. *Patres* igitur ætate, & generis splendore antecellentes *Senatores* erant, quorum progenies *Patricii* appellabantur. Quanquam horum dignitas etiam duplex esset. Quidam enim *origine* tales erant, quod ex patribus patriæ nati essent, ut Junii, Valerii, Fabii; quidam *cooptatione* tales fierent; cum vel à Regibus, vel Senatus consulto, vel lege ad populum lata, in ordinem *Patriciorum* adsciscerentur: ut Julii, *Quinctilii*, *Servilii*, *Curiatii*, *Claudii* & alii, de quibus *Livius*, *Dionysius*, *C. Tacitus* & *Svetonius* testantur. Inde *patricia familia* apud Romanos clara, quæ *plebejis* opponebantur. Illæ, ut hodie nobiles, familiarum splendorem olim, antequam connubia, sacra, auspicia cum *plebejis* sacratis legibus communicata essent, sollicite servarunt. Credebant enim pollui nobilitatem familiæ, si illustri loco nati, conditionis humilioris inirent matrimonia. Unde *Virginiam Auli* filiam, *patritiam plebejo* nuptam, matronæ, quod e patribus enupisset, sacris arcuerant, teste *Livio X, 23.* Et *XXXVI, 17.* in oratione *Acilii* consulis. Ex eo quoque sumta occasio sugillandi hostem *Antiochum* regem, quod is amoris causa, ex domo privata & obscuri etiam inter populares generis uxorem duxisset. Cæterum stemmata seu genealogias Romanorum illustres, *Richardus Streinius Baro Schwarzenavius*, seculo superiori, industria singulari descripta, anno 1559. publicavit.

§. 17. *Quod* alias gentes, Gallos & Germanos attinet, nulla equidem monumenta certa extant, quibus probari possit, illos genealogiarum studium tractasse; forte quod literarum studium apud illos negligeretur: Aliqui tamen ex Bardorum instituto illis usitato conjiciunt, familiarum curam ac laudes ipsis non fuisse neglectas. Erat enim carminum genus, quo majorum laudes & præclaras in bello res gestas prædicarunt, suorumque ad prælia euntium animos fortiter accenderunt, apud C. Tacit. de Mor. German. cap. III. Hinc Lucanus lib. I. v. 447.

*Vos quoque, qui fortes animas belloque peremptas
Laudibus in longum, vates, demittitis ævum,
Plurima securi fudistis carmina Bardi.*

Confer Berneggeri *Question. Miscellanear. IIX.* ex Tacit. de Mor. German. proposit. In hac vero laudum recitatione, per Barditum, ut vocarunt, facta, opus fuit memoriam præclarorum in familiis majorum repetere, ut eorum exemplo juniores ad res fortiter gerendas excitarentur.

§. 18.

Cum autem postea apud gentes nominatas, religione prius Christiana admisa, literarum studia excoli cœpissent; studium genealogicum quoque a Gallis excultum fuisse monumenta genealogica testantur, ex quibus clarissimi Gallici scriptores Sanmarthani, Puschesnei, Gvichenonii, Vignierii, Bucheti, Hozierii, Justelli, & alii illustrium Gallorum stemmata antiquiora collegerunt. Germanorum autem in hoc studio industriam non minorem infra §. 24. memorabimus.

§. 19.

Nunc alterum *prestantiæ hujus studii* argumentum paucis attingemus, quod a *nobilitate rerum* sive *persona-*

rum

rum petitur. Quid enim in historia, illustre magis atque
eximium est, quam scire, Heroum, Regum, Principum
atque præclare de republica meritorum virorum stem-
mata, in quibus conservandis atque propagandis divina
quoque providentia eluxit? Divinæ namque bonitatis &
benedictionis documentum, claræ familiæ præbent, *Psal.*
XXXVII, 26. Semen Justi in benedictione erit. De hac au-
tem non aliunde, quam ex historia genealogica, quæ me-
morias stemmatum illustrium a DEO provectorum con-
servat, constare potest. Quapropter nemo, nisi infice-
tum plane sit ingenium, illam fastidiet, aut ejusdem cul-
tores contemnet. Si enim inanes gentilium fictæ Deo-
rum genealogiæ, suos habent æstimatores, atque etiam
laudatores; insaniam proximum foret, veras, de he-
roum, quos DEUS excitavit, genealogias, ut vile &
abjectum studium contemnere. Non enim hic plebejo-
rum, sed nobilium & illustrium familias respicimus, qua-
rum præclara facta, in historia memorantur.

§. 20.

Et maxime tandem *præstantiam* hujus studii com-
mendat insignis *utilitas*, quam præstat. Hanc, ut distin-
ctius cognoscatur, juxta artes & scientias diversas desi-
gnabimus.

§. 21.

Primum in *historia* cum sacra tum profana illius uti-
litas occurrit. Cum asserente *Polybio*, τὸ γενεαλογικὸν præ-
cipua historiæ pars sit; oportet, ejus quoque in illa usum
præstet. Nam nulla res præclare gesta, sine mentione
personarum, a quibus illa profecta sit, memorari potest.
Itaque, ut sciatur, quis, aut quæ illa persona sit, stirps in-
quiratur; unde genus suum duxerit. Præsertim cum plu-
res in historia viri memorati, simili nomine gaudeant, qui,
ut discernantur, genealogiæ subsidio discimus.

§. 22.

§. 22.

In *sacra historia*, genealogia a Mose *Genes. V.* contexta, ætatem mundi antediluviani insinuat, & quam *Genes. X.* describit, gentium post diluvium origines & propagines indicat, ut supra §. 9. laudatus *Bochartus* in *Pbaleg.* eruditissime demonstravit. Quem usum genealogia CHRISTI a Luca delineata, præbeat, Theologi in asserenda veritate, JESUM esse Messiam ex stirpe Abrahami, Judæ & Davidis, juxta promissionem divinam natum, adversus Judæos demonstrant. Confer *Huëtii Demonstrat. Evangel. Proposit. IX.*

§. 23.

In *profana historia*, quæ vel vetus, vel media, vel recentior est, omnes eruditi usum ejus agnoscunt. Quia virorum illustrium res gestæ in illa memorantur, quorum natales, stemmata agnationum & cognationum, gradus, genealogiæ subsidio cognoscuntur. Cujus peritia si quis non instructus est, operam vel conficiendæ vel legendæ historiæ minori cum fructu insumet. Quapropter *Reinerus Reineccius*, in *historia Julia*, sive *Syntagmate heroico*, & *Hieronymus Henninges*, in vasto suo opere genealogico, utilem hac in parte operam, ad lectionem historiæ navarunt. Quanquam & illud fatendum sit, viros laboriosissimos, quod ad veterem & mediam imprimis historiam attinet, sæpe monumentis certis, in contexendis genealogiis destitutos esse. Unde series Principum atque heroum veterum, quos recensent, quandoque manca aut incerta est. Quippe quod de Poëta cecinit *Horatius lib. IV. od. 9.* id de genealogica historia maxime verum est: *Vixere fortes ante Agamemnona*

Multi; sed omnes illacrimabiles

Urgentur; ignotique, longa

Nocte, carent quia vate sacro.

§. 24.

Recentioris tamen historiae genealogicae certiora
suppetunt documenta; cum Principes & illustres viri, vel
ipsi stemmata sua in archivis conservarint, vel a viris eru-
ditis in commentarios translata fuerint. Maximiliano I.
Imperatori certe ea laus inprimis debetur, quod, ut ipse
historiarum amantissimus fuit, genealogiae studium, cu-
jus usum probe intellexerat, ante haec duo fere secula ite-
rum excitavit. Unde, ab eo tempore, multi clarissimi viri
extiterunt, qui in perscrutandis illustrium familiarum
originibus, industriam impendere suam. Quis enim
Lazii, Henningis Albizii, Reusneri, Bucelini, Rittersbusii,
Blondelli, Chiffletii, Speneri, Pfanneri, & qui adhuc de his li-
teris praclare meretur, *Jacobi Wilhelmi Im-Hoffii* labores
eruditos, in hac historiae illustris parte, collocatos ignorat;
cum tot eorum monumenta singulari doctrina, rerum-
que praestantia insignia, prostant, quibus heroës im-
mortalitatem famae, gloriamque suam apud posteros ac-
ceptam ferre debent?

§. 25.
In *curriculis* certe quae vocantur, *vitae*, praeser-
tim nobilium & illustrium personarum componendis,
genealogicam, vel potius progonologicam scientiam ma-
xime necessariam esse, omnes fatentur. Quia ex illa de
familiae decoribus constat, & quibus connubiorum fœ-
deribus junctae fuerint. Haec quippe causa praecipua stem-
matum clarorum recensitionis, in exsequiis solennioribus
esse solet. *Aut enim dicente Quintiliano lib. III. cap. IX. re-*
spondisse nobilitati, pulchrum erit, aut humiliter genus illu-
strasse factis.

§. 26.
Usum hunc magis declararunt viri, qui, dum perso-
nas a stirpe familiae descendentes in tabulis designarunt,
simul

simul earum res gestas, aut fata memorabilia, paucis an-
notarunt aut recensuerunt: ut *Henninges* in *suis tabulis*
genealogicis, veneratus *D. Spenerus* in *sylogism. genealog.*
nobilissimus Im-Hoffius, in *Regum Pariumque Magnae Bri-*
tanniae Historia Genealog. & *excellentium in Gallia Genealo-*
giis, aliique genealogi supra memorati. Hoc ipso enim
utilitas notitiæ genealogicæ redditur lectori manifestior,
simulque fata familiarum illustrium cognoscuntur: cum
ut urbium imperiorumque, ita familiarum nunc floreat
fortuna, nunc senescat, nunc intereat. confer *Velleji Pa-*
terculi lib. II. cap. XI.

§. 27.

Præterea in civili prudentia, quando de illustrium fa-
miliarum ortu, de agnationum & cognationū gradu, vel
jure successionis quæritur; opus etiam esse scientiæ gene-
alogicæ subsidio, quis neget? cum controversiæ inter illu-
stres familias cognatas subortæ inde determinari debeant.
Usum hunc, multis illustrium controversiarum exemplis,
ex historia civili comprobare possem, si mihi hic prolixo
esse liceret. Interim simul inde etiam adparet, jura Prin-
cipum, & quæstiones de statu publico, sine hujus etiam hi-
storiæ subsidio, non posse dijudicari. In domesticorum
enim documentorum defectu, qui passim in aularum ar-
chivis deprehenditur, ad veterum & recentiorum histo-
ricorum libros recurrendum est. Quapropter omnes
prudentiores politici, vel hanc ob causam etiam studium
genealogicum necessarium esse, arbitrati sunt. Et locum
hic quoque illud Jurisconsultorum scitum, §. *ult. Institut.*
de J. N. & G. habere potest, *parum est jus nosse, si personæ,*
quarum causa constitutum est, ignorentur.

§. 28.

De usu genealogiarum in arte oratoria, nemo du-
bita-

bitabit, si norit, in orationibus panegyricis & elogiis illustrium virorum componendis, natalium origines requiri; cum majorum præclaræ res gestæ abunde laudis argumenta oratori suppeditare queant. confer *Isocratis Encomium Helene, & Busiridis laudationem*, cujus generis nobilitatem pag. m. 528. deprædicat. Inter Christianos hoc institutum *Paulinus*, Episcopus Nolanus, *epist. X. pag. 122. 123.* ad Severum scribens, adprobat: *opinor*, inquit, *& hoc ad cumulum divinæ gratiæ pertinere, quod sanctitatem laudandam de laudibus generis prædicare ordior. Sed hunc ordinem non a rhetoricis institutis magis, quam de Evangelicis exemplis usurpari, doctissimus Lucas mihi testis est, qui Baptiste beati meritum ab originis claritate detexuit.* - - *Et uxor illi erat de filiabus Aaron. Auxit meritum sacerdotis commemorata nobilitate conjugii; & laudaturus vitam, genus ante laudavit, ut venerabilior existeret, qui sanctis parentibus responderet sanctitate congenita, quasi quadam justitiæ hereditate.*

§. 29.

Qui artem poëticam intelligit, aut carmina poëtarum panegyrica legit, genealogiarum peritiam iis inservire ad laudes heroum deprædicandas, facillime admittet. Nam ex illis non tantum decus conciliant majus viris laudatis; sed etiam iis in memoriam revocant majorum illustria virtutum exempla, quæ imitari bene natos fas est; si gloriam familiæ suæ conservare, quin augere, & egregiis factis illustrare velint. *Honestissimum enim est, dicente Plinio lib. V. Epist. 8. Majorum vestigia sequi, si modo recto itinere præcesserint.* Id quod etiam Poëta panegyrici insinuare solent, quando magnatum laudes decantant.

§. 30.

QK Tom 50

§. 30.

Sed nolo amplius, in re tam manifesta, verborum prodigus esse; cum ex allatis in medium argumentis, de GENEALOGICI STUDII PRÆSTANTIA, abunde omnibus, quibus sanum quidem adhuc synciput est, constare queat: id, quod nobis erat demonstrandum. De cætero DEUM ter Opt. Max. veneror, ut omnium justorum familiis benedicat, easque fartas atque tectas conservet, & quam diutissime florere jubeat!

COROLLARIA.

I.

Historia genealogica, ad cognitionem status publici, necessaria est.

II.

Ufus quoque ejus est in jure publico Romano, & quod ab eo maxime differt, Germanico.

III.

Jo. Sleidanus, in libris de Statu Religionis & Reipublicæ, limites historici non est transgressus.

IV.

Ex genealogia, de nobilium & illustrium familiarum decoribus, & eorum quandoque juribus, judicandum est.

V.

Viris ordinis equestris vitio vertendum non est, si connubia cum sortis plebeje fœminis inire abstineant.

VI.

Commune illud civitatibus vitium, quo vetera extollere, recentium incuriosi consueverunt, non est probandum; cum non omnia apud priores meliora, sed unaqueque ætas multa laudis & artium imitanda posteris tulerit.

SOLI DEO GLORIA!

nc

1077



DN

Se

DN

Se



que STRENUIS

S,

ENDO PFLUG,

yniz,

rum Equiti,

iarum & Elect. Saxon.

raefecto:

BR AHAMO

ISEN,

, &c.

rum & Elect. Saxon.

n Consiliario

EIS GRATIOSIS,

ONEM,

tie gratia

Kindermann/

cus.

